

vero Pontificibus, non competat potestas constituendi, supra dictum est.

§. XXXII.

*MINORES ORDINES* Ecclesiae primitivae ignoti fuerunt, ideo Pontificii ridiculi sunt, dum sine verbo DEI, *ostiariis* claves, *lectoribus* librum, *Exorcistis* formulas exorcismorum, *acolutbis* cereos & urcelum, tanquam ceremonias tradunt, quibus arcana virtus Spiritus S. adesse dicitur, quo nomine sacramenti nomen mereantur. *Bellarmin.* ipse *l. c. cap. 8. p. 51.* quid faciat nescit. Minus probabile esse dicit, quod Sacramenta sint, quam de subdiaconatu, qui per se figmentum papale. Frustra quærent principium ex V. T. ut legimus in *Jure Canonico dist. 21. preloq. Bellarmin. lib. 1. de Cleric. cap. 14. Polyd. Vergil. l. 4. cap. 7. pag. 327. Romani Pontifices Hebraeorum sicuti institutum, primi omnium sacris quibusdam initiare ceperunt ostiarios, seu janitores, lectores, exorcizatores, acolutbos, subdiaconos, diaconos, b.e. Levitas, quo numero septem ipsi Apostoli delegerunt Presbyteros & Episcopos, quo sic per gradus ad sacerdotium unusquisque promoveretur. Vid. Durandi Rational. lib. 2. cap. 1. sqq.*

§. XXXIII.

Ratione *εὐταξίας* ordines in Ecclesia non rejicimus, modo sint juxta ordinationem divinam instituti, quos DEUS diversis donis exornavit. *Ephes. IV. v. 11.* Et diversos gradus Paulus testatur *1. Cor. XII. v. 29.* Gradum bonum ut acquirat hortatur Timotheum *1. Tim. III. v. 13.* Ita gradum observavit ecclesia Hierosolymitana *Act. VI. v. 24.* quando diaconis incumbere dicit, præter ministerium Evangelii & administrationem sacramentorum; quæ officia

D

alias